

IOANNIS GILBERT
Ovidianae quaestiones criticae et exegeticae.

Optata mihi occasione oblata liceat operae ac studii per multos annos in Ovidii carminibus legendis relegendisque collocati fructus quosdam, si modo fructus erunt, viris doctis proponere. Qua in re hoc praemoneo me ordinem carminum Ovidianorum, qualis est in editione a Merkleio et Ehwaldio comparata, secutum, nisi si rerum vel observationum contextus et continuatio aliquo loco me recedere ab illo coget, numeris utique Merkelianis et Ehwaldianis et in ipsa commentatione et in indice uti.

Am. III 3, 1 sq. *Esse deos, i, crede! fidem iurata fefellit:
Et facies illi quae fuit ante, manet.*

In hac vulgata scriptura cum offendissem, in appendice commentationis his novem annis editae „Ad Ovidii Heroides quaestiones criticae et exegeticae“ (Misniae 1887. progr.) p. 24 sqq. observato sermonis usu imperativum *i*, quem ab Heinsio demum profectum esse Ehwaldius postea me docuit, ferri non posse ratus suspicatus eram Ovidium scripsisse *Esse deos sic crede*; in editione sua (1888) Ehwaldius ad optimorum librorum fidem reversus *Esse deos hic crede* restituit assentiturque ei Magnus. Neque ego defendere meam conjecturam animum induxi aut aliam proferre: eis quae tum collegeram exemplis ad vim imperativi *i* et formulae *i nunc (et)* illustrandam pauca hic adipere in animo habeo. Ac primum quidem solius imperativi *i* (i. e. adverbio *nunc* non adjuncto), quem alter sequitur imperativus, hoc exemplum addo (v. l. l. p. 25, ubi Fast. II, 249).

Metam. II 464 ‘*I procul hinc dixit nec sacros pollue fontes*’.

Eis porro locis, ubi imperatus *i* per asyndeton cum altero imperativo coniunctus suam vim paene iam amisit (v. l. l. Remed. am. 487 etc.), hunc adiunctum velim

Fast. VI 594 *Si vir es, i, dictas exige dotis opes,*
qua voce nullo ironico sensu admixto Tullia Lucium necato socero regno potiri iubet.
E Vergili Aeneide hos confero locos

IV 381 *I, sequere Italiam ventis, pete regna per undas*
i. e. *Geh nur, ziehe nur hin*, increpantis illa quidem vox, sed alia vi dicta atque ea, quam in formula *i nunc (et)* imperativo praefixa inesse apud Ovidium demonstravi. Cui sermonis usui similius est

IX 634 *i, verbis virtutem inlude superbis!*

Hoc enim Ascanius negat Remulum ab ipso interemptum iterum superbis verbis virtutem inlusurum esse. Plane denique cum usu Ovidiano convenit

VII 425 sq. *I nunc, ingratis offer te, inrise, periclis;
Tyrrhenas, i, sterne acies; tege pace Latinos.*

Nimirum contra ac loquitur Allecto Turno, ut faciat, suadet et imperat. Hanc igitur formulam a Vergilio, ut videtur, primo usurpatam poetae aetate minores excepérunt suamque fecerunt, cuius rei exempla ex Horatii, Propertii, Ovidii carminibus l. l. p. 24 sq. attuli et potui adicere ex Martialis epigramm. X 96, 13 *I cole nunc reges* (novata collocatione adverbii *nunc*), ex Anthol. lat. (rec. Ries.) 471, 12 *I nunc et vitae fugientis tempora vende Divitibus cenis! me si manet et q. s.* Ac semper hanc formulam *i nunc (et) increpantis, irridentis, insultantis, exsecrantis esse olim Terpstra adnotavit nec nos fugit.* Neque enim iure A. Otto „*Neue Beiträge zur Kritik und Erklärung des Properz*“ *Hermes* XXIII (1888) p. 24 Hertzbergium mihi videtur reprehendere, qui Propert. III 27, 22 (rec. Luc. Muell.) *I nunc et noctes disce manere domi* ironice dictum putaverit: nam quae testimonia e Propertii carminibus Otto attulit, ut formulam *i quae* non semper ironice dictum esse demonstraret, ad illum locum non pertinent, ubi non *i vel ite*, sed *i nunc* legitur. Hoc igitur puto constare formulam *i nunc* a Vergilio et poetis aetate minoribus non usurpari nisi ironice, Ovidium autem quotiens ita verba sua intellegi vult, non solo imperativo *i*, sed formula *i nunc (et) uti*. Quamquam unum locum inveni, ubi in eandem sententiam solus imperativus *ite* accipiendus videtur esse:

Art. am. I 321 sq. *Paelicibus quotiens placavit numina caesis
Atque ait exta tenens 'ite, placete meo!'*

scil. Pasiphae tauri amore capta.

Iam vero, ut hanc quaestiunculam ad finem perducam, duos locos reliquum est ut apponam, quos in priore de hac re disputatione praetermissi, quibus efficitur et Vergilium et Ovidium eodem sensu quo formula *i nunc (et)* etiam solo adverbio *nunc* imperativum sequenti usos esse: inde autem Martialis illud *i cole nunc reges* (v. supra) fluxit, qui, quantum perspicio, unus formulam *i nunc* interposito imperativo usurpat. Habemus enim

Verg. Ecl. I 73 *Insere nunc, Meliboe, piros; pone ordine vites,
ubi ironia neminem fugit, quippe cum ipse Meliboeus e patria discedens loquatur, et*

Ov. Met. VI 184 *Quaerite nunc, habeat quam nostra superbia causam
i. e. Fragt ihr noch? Non quaerenda est causa superbiae meae, immo patet, vel luce clarius est.*

Sed ut eo redeamus, unde profecti sumus, etsi quid adiumenti illi versui Am. III 3, 1 ex hac quaestione contingat, ipse dubito ac librorum scriptura *Esse deos hic crede* fortasse retineri potest, a sententia etiam *nunc crede* haud scio an nullam moverit offensionem. Coniecturam autem commendare cum multis de causis tum propterea dubito, quod ne collocatio quidem verborum *nunc crede* cum usu poetarum convenit. Satis mihi est consuetudinem sermonis investigavisse atque ea quae pridem disserueram auxisse et supplevisse.

Her. II 137 sq. *Duritia ferrum ut superes adamantaque teque,
'Non tibi sic', dices 'Phylli, sequendus eram.*

Ad hunc locum in ea quam modo commemoravi commentatione p. 3 pro *teque* suspicatus eram *certe* coniungendum cum verbo *dices*, quam coniecturam etsi viris doctis non probavi, etiam nunc retineo. Nam si Magnus in sua Metamorphoseon editione Met. X 523 (*Adonis*)

*iam se formosior ipso est recte explicat „schöner als je“, ea ipsa interpretatio haud scio an in Heroidum locum transferri non liceat. Neque tamen haec est causa, cur ad illum locum relabar, sed quaestionem a Woelflini, viro doctissimo, de re secum ipsa comparata nuper institutam correcturum me esse puto. Iam pridem enim a Ruhnkenio *dictat.* ad *Ovidii Heroidas* ed. Friedem. ad explicanda illa verba duo similes loci comparati sunt, unus Cic. ad fam. XII 7 *tu fac in augenda gloria te ipse vincas*, alter Plin. N. H. 36, 5 (*Praxiteles*) *marmoris gloria superavit etiam semet*, quorum illum videtur Woelflinus praetermississe, cum in *commentatione „der Ablativus comparationis“* (*Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik* VI [1889] p. 447—467) e Metamorphoseon loco X 523 vellet efficere primum ausum esse Ovidium rem aliquam secum ipsa comparare. Quamquam non habemus ablativum comparationis in Ciceronis epistula, cui prior aetate locus concedendus est: sermonis usus prorsus est idem apud Ciceronem qui apud Ovidium. Quod autem Woelflinus etiam Trist. I 7, 18 *cremasse suum fertur sub stipe natum Thestias et melior matre fuisse soror* eodem referendum putat, in ea re non assentior, cum poeta nihil aliud dicat nisi Althaeam non bonam, non piäm matrem fuisse, bonam piämque fuisse sororem. Eodem loco p. 463 Woelflinus de ablativo comparationis *merito* disserit, quem pro participio, non pro substantivo habendum esse exponit: quae si causa fuit, cur Ov. ex Pont. I 2, 98 *paene etiam merito parcior ira mea est* (e codice Argentoratensi?) laudaret, ubi editores carminum Ovidianorum omnes *merito . . . meo est* habent, vereor ne hanc sententiam non probet illis. Tametsi multa in ea re ab Ovidio novata esse neque exhaustiri poetae ingenium, quod in unoquoque versu eluceret, potuisse recte Woelflinus demonstravit, qui quanti mobile sermonis Ovidiani ingenium sollertiaque aestimaret, cum l. l. p. 447. 454 sqq. tum vel maxime ubi de Linsii dissertatione „de P. Ovidio Nasone vocabulorum inventore“ iudicium facit *Archiv f. lat. Lex. u. Gramm.* VII (1892) p. 611 allatis etiam Theodori Heyse et Luciani Mueller testimoniiis disertis verbis indicavit. Conferantur ea quoque quae novissime Isidorus Hilberg pluribus locis opulenti multisque laudibus digni libri „*Die Gesetze der Wortstellung im Pentameter des Ovid*“ (1894) de admirabili poetae ingenio disseruit.*

Her. IV 59 sq. *Perfidus Aegides ducentia fila secutus*
Curva meae fugit tecta sororis ope.

Hilbergius „*Die Gesetze der Wortstellung im Pentameter des Ovid*“ p. 536 cum nonnullis codicibus v. 60 *Curva meae subiit* legi vult, quia Ovidium *Fugit curva meae* scripturum fuisse putat. Vulgatam lectionem suo iure contra Hilbergium Magnus annal. societ. philol. Berolin. XXII (1896) p. 55 sq. defendit, immo necessarie demonstravit verbo *subiit* locum non esse, quippe quod introeunti Theseo in labyrinthum neque Ariadnae auxilio opus fuisset nec fila anteissent. Ac ne metrica quidem Hilbergii dubitatio iusta est, sed etiam a ratione metrica multo deterior est ea quam Hilbergius proposuit lectio. Hoc enim habeo persuasissimum Ovidium, ubi *Curva meae fugit* potuit scribere, non scripsisse *Fugit| curva meae*, id quod plurimis exemplis, si opus sit, audeam demonstrare, legemque Hilbergianam G¹ non esse legibus H et J potiorem. Neque hic est locus pluribus de ea re disserendi, de qua quid sentiam in Fleckeiseni annalibus CLI (1895) p. 402 sq. breviter indicavi alioque loco et tempore uberiori me expositurum esse spero. Nam iniquius videtur mihi de Hilbergii legibus vel observationibus metricis Magnus fecisse iudicium, qui cum verissime diceret l. l. p. 57: *Er hat*

1*

ferner wahrscheinlich einige von den Gründen (durchkreuzenden Faktoren) richtig gefunden, die den Dichter hinderten, aus jener Neigung [für bestimmte Wortstellungen] wirkliche feste Gesetze zu machen, nimmermehr alle, plus tamen laudis ei impertire debebat, qui neglectam fere in partem studia Ovidiana denuo excitavit tantumque in hac re profecit, ut in eis scriptis ad Ovidium pertinentibus, quae post eius librum edita sunt, ut in Ehwaldii libello 'Krit. Beiträge zu Ovids Epistulae ex Ponto', paene nulla esset pagina, in qua Hilbergii nomen non legeretur. Quodsi recte ab Ehwaldo Her. IV 60 lectio vulgata contra Hilbergium defenditur, cum praesertim phrasis *subiit tecta* ut usitata facillime pro genuina in textum irrepere potuerit, ac ne metrica quidem ratione in suspicionem vocatur, tamen levi vel nulla paene mutatione id quo vere Ovidius scripsit restitui mihi videtur

Curva meae effugit tecta sororis ope.

Nam Theseum non modo fugisse, sed effugisse labyrinthum Phaedra dicit: eadem autem notio in verbo simplici posita ut in aliorum poetarum carminibus legitur ita ab Ovidiano usu, quantum video, abhorret. Evanescere autem litteras *ef* inter vocabula *meae* et *fugit* positas facile potuisse nemo non videt.

Her. VIII 103 sq. *Pyrrhus habet captam reduce ac victore parente:*

Munus et a! nobis diruta Troia dedit.

Ita locum corruptum Ehwaldius edidit, postquam uberior de eo in Bursiani nunt. annal. XLIII (1885) p. 237 sq. disseruit. Suspicatus eram „Ad Ovidii Heroines quaestiones“ p. 8 sq.

Et dominum nobis diruta Troia dedit

vel, si cui magis placuerit,

A! dominum et nobis diruta Troia dedit.

Hanc vel illam lectionem neque a Parisini fide nimis recedere censeo neque Antonio Zingerle atque Wartenbergio displicuisse laetor. Itaque etiam nunc mihi coniectura mea probatur ac placet multo magis illa quidem quam quod Leo suspicatus est: *Et minus, a, nobis diruta Troia tulit*, aut quod Philippus Loewe in Fleckeiseni annalibus CXXXXV (1892) p. 728: *Eminus a! nos bis diruta Troia ferit* artificiosa quadam interpretatione usus „aus der Ferne trifft ach! uns zweimal das (nunmehr) zerstörte Troja“ cl. vv. 89 sqq. Pronomen enim *nobis* vereor ne temptari non liceat versusque a Loewio exhibitus a metrica poetae elegantia alienus sit.

Sed aliam hoc loco quaestionem instituere volui. Nam de vocabulis *dominus* et *domina*, quae saepe in Ovidii carminibus occurunt, inquirentem latinitatis lexica deserere me visa sunt. Ac primum quidem *dominum* dici pro *marito* Carolus Ernestus Georges adnotat, eundem esse usum vocis *dominae* apud Ovidium neglegit, qui tamen usus Forcellinium non fugerat. Exempla haec appono

Trist. III 3, 23 *Nuntiet huc aliquis dominam venisse, resurgam
Spesque tui nobis causa vigoris erit.*

Trist. IV 3, 9 *Inque meam nitidos dominam convertite vultus.*

Trist. V 5, 1 *Annuus adsuetum dominae natalis honorem*

Exigit: ite, manus, ad pia sacra, meae!

cf. *coniugis* v. 4, quae eadem vis quin in voce *domina* sit, vix licet dubitare. Sed leviora haec neque cuiquam incognita: illud gravius, quod pro *auctore* (*Verfasser, Schreiber*) vel *poeta dominum* ab Ovidio usurpari neque Forcellinius neque Georges indicant, etsi pridem

Ciofanus Trist. I 1, 2 domino per ποιητὴ explicavit. Atque haec ex Ovidii carminibus exempla affero:

Trist. I 1, 1 sq. *Parve, nec invideo, sine me, liber, ibis in Urbem:
Ei mihi, quod domino non licet ire tuo!*

Trist. III 1, 5 sq. *Haec domini fortuna mei est, ut debeat illam
Infelix nullis dissimulare iocis.*

ibid. 13 sq. *Quod neque sum cedro flarus nec pumice levis,
Erubui domino cultior esse meo.*

ex Ponto I 2, 135 sq. *Cuius te solitum memini laudare libellos
Exceptis domino qui nocuere suo.*

ex Ponto I 5, 83 sq. *Sed neque pervenio scriptis mediocribus istuc
Famaque cum domino fugit ab Urbe suo,*

quo loco etsi dubitari potest utrum auctorem an possessorem famae poeta intellegi velit, cl. v. 78 *Auctorem certe res iuvat ista nihil illud mihi rectius fieri videtur. — In eandem sententiam accipendum ne femininum quidem *domina* ab usu Ovidiano alienum esse primis verbis epistulae Canaces ad Macareum datae cognoscimus*

Her. XI 1 sq. *Siqua tamen caecis errabunt scripta lituris,
Oblitus a dominae caede libellus erit,*

ubi cum de amata vel coniuge cogitare ipsa re prohibeamur, *domina libelli* i. e. *Verfasserin, Schreiberin* intellegenda est. In transcursu moneo verba *oblitus a dominae caede* sine offensione esse neque recte a Carolo Guttmann „*Sogenanntes instrumentales ab bei Ovid*“ (progr. Dortmund. 1890) p. 14 interiectionem *a!* pro praepositione conici.

Neque tamen etiam hac vocabulorum *dominus* et *domina* significatione adiecta acquiescere possumus, sed latius eorum usus patet, quo generatim ei *domini* (alicuius rei) nominantur, quibus res est cum aliqua re, cui ipsi homines opponuntur. Nam ubi de Argeis qui dicuntur poeta narrat

Fast. V 657 sqq. *Displacet heredi mandati cura sepulcri:
Mortuus Ausonia conditur hospes humo,
Scirpea pro domino Tiberi iactatur imago,*

660 *Ut repeatat Graias per freta longa domos,*

ad quem locum frustra editiones, frustra etiam Forcellini ‘Totius latinitatis lexicon’ inspexi, quid aliud nisi *mortuum ipsum*, cui scirpea imago opposita est, intellegemus? Simillima enim vis est pronominis *ipse*, quam praeter hunc Fastorum versum pluribusne locis in vocabulo *dominus* inesse cognoscatur, non satis exploratum habeo. Subesse eam crediderim illi Horatiano loco carm. III 1, 33 sqq.

*Contracta pisces aequora sentiunt
Iactis in altum molibus: huc frequens
Caementa demittit redemptor
Cum familis dominusque terrae*

*Fastidiosus: sed Timor et Minae
Scandunt eodem quo dominus*

i. e. *ipse*, scil. is qui Timori et Minis obnoxius est, quamquam praeterea iteratam hanc vocem *dominus* ad priorem referendam esse nemo non videt.

Denique, ut unum addam, quod Petronius Sat. 57 *an tibi non placent lautitiae domini mei* scribit et Ludovicus Friedlaender non convivii exhibitorem intellegendum esse, sed vulgatam illo tempore hanc esse appellationem hominum honestorum demonstrat (*Cena Trimalchionis* 1891 p. 266), etiam haec vis vocis, quippe quae non salutioni modo vel allocutioni conveniat, a lexicographis addenda erit.

Quoniam ea quae in lexicis de vocabulo *dominus* disseruntur non sufficere exposui, hac ego occasione oblata alia quaedam adiciam, quae in lexico a C. E. Georges composito desideravi. Ac primum quidem sub lemmate *fossor* neque ab hoc neque in Forcellini lexico testimonium Ovidii allatum est ex Ponto I 6, 31 *Haec* (scil. spes) facit, *ut vivat fossor quoque compede vinctus Liberaque a ferro crura futura putet*, ubi librorum nulla est dissensio. Satis autem rara exempla sunt, quibus a lexicographis metallicum (i. e. ‘*Bergmann*’) dici *fossorem* demonstratur. Neque enim aliud quidquam ab Ovidio illo loco puto significari eumque Athenienses in Sicilia devictos ante oculos habuisse: quam memoriam ab eo poeta facile suspiceris repeti, qui paene annum in insula Sicilia versatus sit (cf. ex Ponto II 10, 29), quamvis fabulis magis quam ipsi historiae ac rebus gestis eum ibi studium impertivisse consentaneum sit. — Sub voce *sollers* a. C. E. Georges adnotatum est ablativum *sollerte* pro *sollerti* Pont. IV 14, 35 legi: nihil de eadem re sub voce *iners*, cuius tamen ablativum *inerte* pro *inerti* Pont. I 5, 8; 10, 14 legimus. An illud adnotandum videbitur, hoc non esse dignum, quod memoretur? — *Contra, intra* aliasque praepositiones casui suo interdum postponi Georges monet, eundem esse usum praepositionis *ante* ab eo in temporali tantum, non item in locali *ante* monemur. Sed nihil ad hunc usum interesse, utra notio in praepositione sit, demonstratur locis Ovidianis Trist. IV 4, 74 *ducuntur ad aram, Quae stabat geminas ante cruenta fores*, Fast. I 503 *immissis puppem stetit ante capillis*, ubi vide commentarium Peteri. — Sub voce *reicere* commemoratur huius verbi duas primas syllabas apud Vergilium aliosque poetas in unam commissas inveniri: addendum erit etiam *deicere* trisyllabum dictum esse ab Horatio Sat. I 6, 39 *Deicere de saxo cives aut tradere Cadmo*, ubi *deicere de* codicum maior pars, *deicere e* perpauci deteriores exhibent. — Recte lemma *cūpressus* se habet, falso *cūpressifer* (Georg., item Forcell.): *cūpressifer* scribendum erat syllaba prima producta, non correpta. Nam duobus locis hoc adiectivum Ovidius posuit, Her. IX 87 *Ut Tegeaeus aper cūpressifero Erymantho* et Fast. V 87 *Haec enixa iugo cūpressiferae Cyllenes*, nemo, ut videtur, praeterea. Siquidem vero idem ubicunque cupressi mentionem facit primam vocis syllabam corripit, antea mihi subierat utroque loco longiore formam *cyparissifer* Ovidio adscribere, quod etiam Bentleyum voluisse ex Heroidum editione a Sedlmayero instructa cognovi. *Cyparissus* enim nomen est pueri in illam arborem mutati (cf. Metam. X 121 sqq.), *coniferae cyparissi* Vergilius Aen. III 680 dixit, adiectivo quoque *cyparissifer* Sidonius carm. XXIII 417 usus est. Neque tamen recte librorum fidem in suspicionem vocari, sed retinendas esse in Ovidii carminibus voces et *cūpressus* et *cūpressifer*, producta prima syllaba hanc, illam correpta, iam mihi persuasi eis lectis quae nuperrime Hilbergius de ea re disseruit „*Beobachtungen über die prosodischen Functionen inlautender muta cum liquida bei Ovid*“ . Ergo nihil mutandum in illis versibus censeo, errorem corrigendum esse in lexico. Sed haec hactenus: similia, quae quidem desiderem in lexico, sesenta possum addere atque addiderim, si cui esse usui cognoverim.

Her. X 92 sqq. *Si mare, si terras porrectaque litora vidi,
Multa mihi terrae, multa minantur aquae.*

Caelum restabat: timeo simulacra deorum.

95 *Destituor rapidis praeda cibusque feris.*

Quid hoc loco *simulacra deorum* sibi velint, nescio ac ne ab Ehwaldio quidem didici, qui comparari iubet Metam. I 73 *Astra tenent caeleste solum formaeque deorum*. Neque enim de statuis cogitare licet, quas solas illis verbis significari Birtius monet, nec veri simile est ipsos deos dici, si modo verba *simulacra deorum* idem valent quod *formae deorum* ‘die in (menschl.) Körperfestalt gedachten Götter’ (Poll.). Nam cur Ariadne deos timeret? qui defendere eam a rapidis feris poterant, quorum unus Cressam a Theseo Naxi relictam suam coniugem facturus erat. Quid? quod a feris tantum quae sibi immineant pericula Ariadne hic videtur commemorare et in terra habitantibus (lupos, leones, tigridas dicit) et in mari (phocas, etiam gladii? vide infra) et in ipso caelo (signa leonis, scorpionis, al.) idque ita esse versu 95 ea quae antecedunt complectenti *Destituor-feris* demonstratur. Quae cum ita sint, v. 94

Caelum restabat: timeo simulacra ferarum

scribendum puto et signifiri feras intellego, quas ipsas quoque Ariadne, ut est in solitudine metu perterrita, timendas putat: non veras modo feras et terrae et maris, sed etiam *simulacra ferarum* in caelo posita. Eadem caeli signa intelleguntur Metam. II 78 *per insidias iter est formasque ferarum*, ubi vide Pollii interpretationem vocis *formas* diversae ab ea vi quam voci *simulacra* Her. X 94 tribuimus, atque eodem nomine vocantur Metam. II 194 *Vastarumque videt* (scil. Phaethon) *trepidus simulacra ferarum*, nisi quod eo de quo agimus loco *simulacra ferarum*, si ita poetam scripsisse censemus, maiore quadam cum vi veris feris opponuntur. Librarii autem quod utrumque exitum hexametri saepius scribebant (*simulacra deorum* Metam. X 694, *hominum simulacra ferarumque* Metam. IV 780), facile fieri potuit, ut ea verba permutarent, etiam erroris vitio, non tantum stupidae interpolationis. Hanc librariis Birtius imputat *De Halieuticis Ovidio poetae falso adscriptis* p. 40, cuius de hoc loco sententiam meam quoque esse profiteor, praeter quod ille ut explicat *vel simulacra timeo ferarum* ita restitui iubet aut *simulacra leonum*, id quod minus aptum mihi videtur numero plurali *leonum* displicente, aut acutius *simulacra timorum*, quod ut est acute dictum et eleganter ita qua ratione a librariis vitiatum sit non facile perspicitur. Quod vero Birtius l. l. transponendos versus 88—98 putat, assentientem me habet, praeter quod de lacunis ab eo statutis dubito. Nam versus 88 *Quis retat et gladios per latus ire meum?* haud scio an retinere suum locum possit et ipso hoc versus id dicatur, quod eo pentametro, quem post v. 87 Birtius intercidisse putat (‘quo pisces praeter phocas etiam alii inducebant’), dici desiderat. *Gladii* enim utrum enses sint an pisces (Graecorum *Σηρίαι*, rostro mucronato, a quibus Plinius N. H. 32, 15. 145; 9, 54 auctor est crebro delphini magnitudinem excidi navesque perfossas mergi in oceano), mihi quidem non est exploratum: illa vulgata fere opinio est virorum doctorum, hoc ego fieri posse non negaverim, cum immanissima quaeque cogitatione sibi Ariadne depingat. Item post v. 98 hexametrum (aut distichon) excidisse unum, quem exciperent vv. 88 (89 ego malim) — 92, inde suspiceris, quod coniunctio *sive* v. 97 alteram eandem requirere videtur: neque tamen hunc usum coniunctionis *sive*, quamvis singularis sit, a poetis Latinis abiudicandum esse F. C. W. Muellerus in ea commentatione quae inscribitur *Über den Gebrauch von sive* (Berolini 1871) p. 9 sqq. pluribus exemplis demonstravit.

Her. XIV 61 sq. *Aut meruere necem patruelia regna tenendo*
 × [Quae tamen externis danda forent generis?] ×

Sic locum corruptum Ehwaldius edidit versu genuino in codice Puteaneo eraso. Constat autem nusquam in Heroidibus neque ab Ovidio ipso neque ab imitatoribus eius vocem trisyllabam in fine pentametri positam esse. Iam vero Magnus ann. soc. philol. Berol. XXII (1896) p. 34 editionem Heroidum a Palmero institutam aestimans e collatione Puteanei a Kornio quondam facta, quam in rebus admodum magnis a Palmeri indicis dissentire dicit, ad illum versum haec adnotat: 'loco v. 62 fuisse alium versum, quo deleto versum 62 in margine a m. 1 esse adpositum, sed nunc semievanidum, ut vix haec legantur: *Que τὰν externis danda fu///*'. Iam pridem et Ehwaldius et Magnus de Sedlmayeri fide addubitaverant eiusdem codicis lectionum plurimis locis, quibus antea ille haesitaverat, iustum sibi praesto fuisse effigiem summa cum accuratione transcriptam affirmantis. Quod si recte illa Kornii de v. 62 indicia se habent, quid veri similius est quam haec fuisse scripta: *Quae tamen externis danda fuere viris?* Quamquam num ea genuina verba sint poetae, etiam tunc dubium erit. Iure enim, ut mihi videtur, Riesius in coniunctione *aut* v. 61 offendit *at* (malim *an*) scribendum esse ratus: illud si retinendum videbitur, tale aliquid potius poetam scripsisse iudico: *Aut meruere necem patruelia regna tenendo, Aut ego in insontem non pia tela gero.* Suspiciari liceat, cum uterque versus ab eadem coniunctione *aut* inciperet, priorem per dittographiam bis scriptum, errore postea perspecto et altero versu deleto sive ab eadem sive ab altera manu lacunam qualicumque modo expletam esse.

Sed utut est, recte hoc viri docti observaverunt trisyllaba ab Ovidio in fine pentametri non ponи nisi in epistulis ex Ponto, ne in Tristibus quidem poetam huic socordiae vel neglegentiae indulsisse, quam ipse cum videat atque improbet, tamen longa exsilia mora animum suum miseriis subactum obtorpuisse ac laborem corrigendi recusare queritur ex Ponto I 5, 3 sqq.; III 9, cuius epistulae versus 21 sqq. egregie Ehwaldium *Krit. Beitr.* p. 60—62 restituisse et interpretatum esse video, etiam si quis putet adversari eis versum ex Ponto I 5, 17 *Nec tamen emendo: labor hic quam scribere maior.* Itaque etiam in illos pentametros in vocem trisyllabam desinentes id cadere existimo, quod Woelflinus *Archiv f. lat. Lexikogr. u. Gramm. IV* (1887) p. 5 ('Die Dissimilation der littera canina') ad comparativum *barbariora* ex Pont. III 2, 78 ab Ovidio exhibitum adnotat: 'barbariora hat Ovid als ἀπαξ εἰρ. geschrieben, man braucht nicht zu sagen, inkorrekt, aber doch in einer Zeit, als dem Verbannten der sermo urbanus nicht mehr an das Ohr schlug' cl. Trist. 14, 49 sq. *Crede mihi, timeo, ne sint inmixta Latinis Inque meis scriptis Pontica verba legas.* Etsi barbariem loci ea ipsa insolita forma *barbariora* poetam notari voluisse facile suspiceris. Sed redeo ad pentametros in trisyllabam vocem desinentes:

- ex Pont. I 1, 66 *Ne non peccarim, mors quoque non faciet.*
- ex Pont. I 8, 40 *Quolibet ut saltem rure frui liceat.*
- ex Pont. III 5, 40 *Aut, quod saepe soles, exigis ut recitent.*
- ex Pont. III 6, 46 *Vix excusari posse mihi videor.*
- ex Pont. IV 9, 26 *Spectarem, qualis purpura te teget.*

Hos versus etsi non omnes ab Ovidio profectos esse constat (et primum et ultimum, utrumque cum suo hexametro, Heinsius delevit), corrigi tamen non licet. Certe enim poeta si voluisset, vitium facile poterat vitare: velut I 1, 66 *mors quoque nulla facit* non inepte in codice

quodam legitur, I 8, 40 nonne in promptu erat *Quolibet ut possim nunc ego rure frui vel Quolibet ut saltem nunc ego rure fruar?* At enim scimus Ovidium vitia horum carminum quamvis bene cognita emendare noluisse. Recte autem illis locis sextum adiunxit Dinterus *De Ovidii ex Ponto libris comment. I.* (Grimae 1858) p. 15

ex Ponto I 6, 26 *Omnis an in magnos culpa deos scelus est?*

siquidem pentameter voce monosyllaba bisyllabam sequente concluditur. Nam quod illi quinque versus in verbalem formam, non nominalem, eamque trisyllabam desinunt (cf. Ehwald. *Krit. Beitr.* p. 11), dubito utrum id casu an consilio factum putem. Atque etiam eum versum illis subiungendum esse censeo, qui vocem quinque syllabarum in fine pentametri positam praebeat, haud sane discrepantem ab illa poetae neglegentia

ex Ponto IV 3, 12 *Paene puer puerō iunctus amicitia.*

Ergo nihil mutandum est in illis versibus, nisi si aliae suspicione accendant. Velut ex Ponto I 1, 65 sq. *Mors faciet certe, ne sim, cum venerit, exsul: Ne non peccarim, mors quoque non faciet* geminata in pentametro negatio offensioni sane est: quam quod Dinterus l. 1. p. 14 sq. fortasse ferri posse putat cl. ex Ponto I 3, 89 sq. *Sed vereor, ne me frustra servare labores Neu iuver admota perditus aeger ope,* ubi similis vitio *neu* ei videtur dictum pro *neu* non sive *utque*, in hac re quin vir doctus erraverit, non est dubium. Sententia enim hoc loco plana est et quae nullam habeat offensionem: ‘*vereor, ne perditus sive desperatus aeger ego sim, qui admota ope iuver* (=quem admota ope iuvare labores), ergo ne non iuver (iuvari possim), *vereor’.* Urgendum igitur ut *frustra* vocabulum in priore ita *perditus* in posteriore versu. Verum enim poetae sensum, nisi quae vox urgeatur investigaverimus, nec hoc loco nec aliis multis assequemur: velut Am. I 14, 47 sq. *O quam saepe comas aliquo mirante rubebis Et dices ‘empta nunc ego merce probor’* si quis conicere velit *non ego* (cl. Her. XI 20; XIV 90), eandem fere sententiam efficerit nec tamen bene rem gesserit quippe quod versus nullam emendationem desiderat. Neque Am. I 3, 17 sq. *Tecum, quos dederint annos mihi fila sororum, Vivere contingat teque dolente mori,* qui locus temptari numquam debebat, recte potest intellegi, nisi acutius dictum esse *te dolente*, i. e. *cum dolore tuo cognoveris.* Attamen vel Heinsius lectionem *te moriente mori* ut argute dictam adnotavit et *teque obeunte mori* scriptum fuisse censem. Contra Burmannus nihil ille quidem mutat, sed perperam verba tradita interpretatur: ‘*te dolente* scil. si desultor fiam et aliam amem; nullam ergo dolendi materiem se levitate sua praebitum amicae pollicetur’. Nihil aliud nimirum poeta optat nisi ut mors sua ab amica superstitie lugeatur, i. e. ne illa ante ab ipso discedat quam mortuus sit. Nihil igitur ad rem ea exempla, quibus Burmannus *dolere* amorem perfidia laesum dici ostendit, neque magis Horatianum illud comparari convenit carm. III 9, 24 *Tecum vivere amem, tecum obeam libens.*

Her. XVII 173 sq. Quid mihi, quod lato non separor aequore, prodest?

Num minus haec nobis tam brevis obstat aqua?

Miror, quod adhuc nemo vir doctus v. 173 in collocatione verborum sane quam insolita et vix ferenda offendit. Mihi quidem conferenti Trist. III 10, 42 sq. *Si tibi tale fretum quondam, Leandre, fuisset, Non foret angustae mors tua crimen aquae* dubium non videtur, quin ita poeta, quicunque creditur fuisse, scripserit:

Quid mihi, non lato quod separor aequore, prodest?

Nam illic *angusta aqua*, quod hic *non latum aequor* ('nur ein schmales Meer'). Indifferenter enim in hac epistula poeta variis vocabulis ad eandem rem significandam utitur: (unda, fluctus, altum,) aqua, fretum, pontus, mare, profundum, aequor nullo discriminé leguntur. Itaque non est veri simile *latum aequor* ('weites Meer') a poeta *brevi aquae* opponi, praesertim cum idem Hellespontus non minus v. 117 *virginis aequor* et v. 137 *Athamanitidos aequora* quam v. 108 *Hellespontiacum mare* vocetur, *tumidum aequor* v. 35 et v. 193 legamus. Quod si quis defendet poetam *latum aequor* opponere *brevi aquae*, quod dubito an fieri non possit, ne sic quidem verba ita ut traduntur collocata ferri posse iudico. Oyidium certe si hanc epistulam scripsisse credi liceret; persuasissimum habeo ita ut proposui verba collocaturum fuisse. Cauter enim ac diligenter negationi *non* suum locum attribuere solet, quam iusto magis interdum ad initium sententiae accedere iubet neque tamen umquam, ut opinor, a suo loco motam retardat. Similis adverbii *quoque* videtur esse ratio, quod liberius aliquando collocari Pollius in Metamorphoseon editione et lexico multis exemplis ostendit. Quam accurate autem Ovidius in illa re fuerit, documento sit Trist. I 7, 31 sq. *laudatus abunde, Non fastiditus si tibi, lector ero.* Neque huic opinioni repugnare censeo Her. XIV 19 sq. *Quam tu caede putas fungi potuisse mariti, Scribere de facta non sibi caede timet* (non sibi, sed sororibus!) aut Trist. I 3, 40 *Placato possum non miser esse deo,* quod aliud est atque *non possum miser esse.* Id ipsum enim intellegendum puto: (*si deus placatus erit,*) *possum felix esse,* falso intellegi, si quis intellegat: (*si deus placatus erit,*) *miser esse non possum.*

Her. XVII 213 sq. *Me pariter venti teneant tenerique lacerti,
Per causas istic inpediarque duas.*

Ab Ovidiana elegantia v. 213 haud scio an propius absit

Me pariter venti teneant teneantque lacerti,

quod etiam Heinsium coniecssisse video. Quamquam imitatorem Ovidii potius quam ipsum Oyidium videbimus corressisse, qui quidem eiusmodi repetitionibus vocum saepe utitur, unde pluribus locis Ovidianis Heinsius ad Her. VI 29 medelam adhibere conatus est.

Art. am. I 113 sq. *In medio plausu (plausus tunc arte carebant)*

Rex populo praedae signa petenda dedit.

Fuerunt qui v. 114 talem traiectionem epitheti quae vocatur defenderent liberiusque *praedae signa petenda* pro *praedae signa petenda* dici existimarent. At enim num hoc in Latino sermone fieri posset, cum iam Burmannus vehementer dubitaverit, tum hodie constare de ea re videtur. Itaque corruptum locum varie temptaverunt. Et Burmannus quidem *repente* vel *petente* proposuit, quorum hoc Riesio arrisit, Ehwaldius Bentleyum et Madvigium secutus *praedae signa petita* exhibuit, quod ut sententiae aptum ita frigidius mihi videtur. Quae cum ita essent, persuasi mihi, ut aliam quoque viam sanandi locum corruptum ingredi licere crederem. Quidni *petenda* recte se habere, *signa* vocem vitiatam esse censeamus? Comparanti enim Her. XVII 164 (*Saepe per adsiduos languent mea bracchia motus Vixque per immensas fessa trahuntur aquas: His ego cum dixi 'premium non vile laboris' Iam dominae vobis colla tenenda dabo*) et animadvertisi Metam. IV 597 Cadmum in anguem versum coniugis adsueta colla petere, Metam. VI 640 Ityn, quem mater ut patri cenam apponat trucidatura est, colla petere Prognes etiam hic poeta mihi visus est ita scripsisse

Rex populo praedae colla petenda dedit.

Quomodo *signa* irrepere in textum potuerit, si quaeritur, in margine fortasse adscripta fuit explicatio (*signum dedit*) et textui postea inserta est.

Art. am. III 429 sq. *Quid minus Andromedae fuerat sperare revinctae,
Quam lacrimas ulli posse placere suas?*

Hexametrum quotiens lego, facere non possum, quin suspectum habeam. Heinsius enim quamvis copiose ad Art. am. II 28 (ubi *da mihi posse mori* improbat, ‘elegantem Graecismum’ *sit mihi posse mori* defendere studet) de verbo *est* pro *licet* posito exposuerit, hoc tamen mihi ille non persuadet ab Ovidio ullo loco, de quo quidem fide librorum constet, hoc *est* cum dativo personae coniunctum legi. Qua de causa eam ego quae in promptu est lectionem, quamvis interpolationem redolere multis videatur, propono

*Quid minus Andromeda poterat sperare revincta,
Quam lacrimas ulli posse placere suas?*

non *Andromede*, quia Graecorum Ἀνδρομέδα (Ἀνδρομέδη apud Herodotum). Legimus autem accusativum *Andromedan* Art. am. I 53; Metam. IV 671; Her. XVII 151 (hoc loco de sidere dictum *Andromedan alius spectet claramque Coronam*); legimus nominativos ultima producta *Phaedra* Art. am. I 511, *Hypermesta* Her. XIV 1, 53, *Electra* Fast. IV 177. Cf. Lachmann. ad Lucret. p. 405 sq., qui eadem quantitate vocalis Ciceronem *Andromeda* et *Electra* dixisse ostendit et ab ipso Ovidio *a litterae a Graecis productae neglegentiam abiudicat*.

Metam. I 61 sqq. *Eurus ad auroram Nabataeaque regna recessit
Persidaque et radiis iuga subdita matutinis;
Vesper et occiduo quae litora sole tepescunt
Proxima sunt zephyro; Scythiam septemque trionem
65 Horrifer invasit boreas; contraria tellus
Nubibus adsiduis pluviaque madescit ab austro.*

Sic enim v. 66 puto scribendum: *pluviaque* (adsidua) vel *pluviisque*, non *pluvioque* (ab austro). Displacet vehementer, quod *nubibus adsiduis* adiungitur *pluvius austri*, cum praesertim eurus, zephyrus, boreas, austri humana vel potius divina specie induiti a poeta inducantur; cf. v. 60 *tanta est discordia fratrum*. Hoc idem Pollium sensisse puto, qui cum antea nominibus ventorum praeter ipsum austrum, cui non poterat, primam litteram grandem dedisset, nuper ob eam ipsam rem videtur ad litteram minutam redisse. Quod si conjectura mea placebit, non modo ventorum nomina, si volemus, pro nominibus propriis habere poterimus, sed etiam illa offensio sublata erit, quae in coniunctione verborum *nubibus adsiduis et a pluvio austro* posita ferri illa quidem potest, sed minus elegantis poetae videtur esse.

Metam. IV 416 sq. *Tum vero totis Bacchi memorabile Thebis
Numen erat.*

venerabile legendum videtur, non *memorabile*, quod vitio librarii vel legentis falsum vel audientis illatum puto. Neque enim aliam vim in adiectivo *memorabilis* inesse video nisi ‘denkwürdig, merkwürdig’, non item ‘rühmlich, geprisesen’. Itaque cautius in hac re Georges quam Pollius egit, qui hanc statuit vim adiectivi ut nostro loco ita Metam. VI 12 (*Arachne Lydas per urbes*) *Quaesierat studio nomen memorabile* et Metam. X 608 *habebis Hippomene victo magnum et memorabile nomen*. Utroque loco etsi concedimus *memorabile nomen* ex

interpretatione Pollii verti posse ('einen gepriesenen, gefeierten Namen'), tamen hoc non ipso vocabulo sed tota re efficitur, cum minime illis locis *venerabile nomen* dici potuerit. Contra *Bacchi numen* non *memorabile* modo, verum etiam *venerabile* erat. Memorabant enim Bacchum etiam ante Minyeidas in vespertilio conversas: tum vero venerabantur. Comparari velim ex Ponto II 3, 19 *amicitiae quondam venerabile numen*.

Metam. V 564 sqq. falso ordine versus traditi videntur et ita potius transponendi

At medius fratrisque sui maestaeque sororis

565 *Iuppiter ex aequo volventem diridit annum.*

568 *Vertitur extemplo facies et mentis et oris:*

Nam modo quae poterat Diti quoque maesta videri,

570 *Laeta deae frons est, ut sol, qui tectus aquosis*

Nubibus ante fuit, victis e nubibus exit.

566 *Nunc dea, regnorum numen commune duorum,*

567 *Cum matre est totidem, totidem cum coniuge menses.*

Hunc novum ordinem ipsum se commendaturum spero. Neque obliviscendum est ex ore Musae verba fluere audiente Minerva. Tota autem de raptu Proserpinae narratio aptissime duobus versibus 566 sq. absolvitur, qui in libris nescio quo pacto in medium narrationem inserti eum, quem par est esse, sententiarum ordinem turbant. Nam vv. 564, 565, 568—571 Musa ipsam narrationem ad finem perducit et, qua ratione Iuppiter Proserpinam a Plutone raptam placaverit, refert, v. 566 sq. eam, quae nunc est Proserpinae condicio, totam rem complexa ostendit.

Metam. VII 120 sq. *Mirantur Colchi: Minyaē clamoribus augent
Adiciuntque animos.*

Offendo in tumida quadam coacervatione verborum *animos augere et adipere*, etsi primus offendere videor: nisi forte simile aliquid Magnus sensit vocem *animos 'ihren eigenen Mut'* interpretatus. Quod tamen probabile mihi non videtur: Aesonidae nimirum animos Minyaē augent adiciuntque. Hoc ut cognoscatur, conferantur velim similes loci Metam. X 656 *Adiciunt animos iuveni clamorque favorque* (obiter moneo totam illam Atalantae meditationem vv. 611—635 simillimam esse meditationi Medeae VII 11—71), Fast. III 65 *Ut genus audierunt* (Romulus et Remus), *animos pater editus auget*, Fast. V 583 *Addiderant animos Crassorum funera genti* (Parthorum), *Cum periit miles signaque duxque simul*, Metam. VIII 389 *Erubuere viri seque exhortantur et addunt Cum clamore animos* (scil. inter se) *iaciuntque sine ordine tela*, Her. XVII 93 *Cum vero possum cerni quoque, protinus addis Spectatrix animos.* Utrumque igitur poeta dixit, et *augere et adipere animos*, praeterea *addere animos* nullo discrimine: num coniuncta quoque duo verba prorsus eiusdem significationis ab eo dici censemus? Quod cum haud facile mihi persuadeam, sic legendum propono

*Mirantur Colchi: Minyaē clamoribus urgent
Adiciuntque animos.*

Mutatio sane levis est et quae offensionem tollat. Minyaē *urgent* ('treiben') et *animos adiciunt* Ausonidae; cf. Metam. IV 35 (*Minyeides*) *haerent telae famulasque laboribus urgent.*

Metam. VII 826 sq. *Credula res amor est: subito conlapsa dolore,
Ut sibi narratur, cecidit.*

Mirus sane, etsi non inauditus, pronominis *sibi* usus, quod Heinsium secuti contra codicum consensum omnes editores in textum receperunt. Neque infitias eo apte comparari in Oenones epistula Her. V 37 sq. *Attoniti mieuere sinus, gelidusque cucurrit, Ut mihi narrasti, dura per ossa tremor;* eadem fere est et illius et Procridis condicio. Neque tamen illic de pronomine reflexivo agitur neque hic lectio librorum in textu posita est, quam quidem recte se habere neque esse, cur mutandam putem, habeo persuasum. Phoco enim Aeacidae Cephalus Atheniensis dum iaculi sui crimina (vv. 794 sq. 690 sq.) refert, Procrin coniugem suam narrat falso indicio arguentis cuiusdam ipsum laesae fidei maritae deceptam esse. Nimirum ipse tum, cum Procris nympham aliquam a Cephalo amari rata animo relicta est, domo afuit: quid igitur magis consentaneum est, quam Cephalum, ne Phocus rem ordine ut gesta esset ab ipso narrari miraretur, haec omnia esse postea sibi narrata dixisse? Ergo reponendum iudico e librorum fide pronomen *mihi*, neque vereor, ne quis in tempore praesenti *narratur* pro perfecto posito offendat, praesertim cum etiamnum forsitan illam rem audire et loqui posse de coniuge amissa Cephalum iuvet:

*Credula res amor est: subito conlapsa dolore,
Ut mihi narratur, cecidit.*

Metam. X 636 sq. *Dixerat; utque rudis primoque Cupidine tacta,
Quid facit ignorans, amat et non sentit amorem.*

Librorum lectionem v. 637 *quid facit ignorans* cum ferri non posse constaret, varie viri docti locum temptaverunt. E multis conjecturis aptissima ea videtur, quam Nickius proposuit, in textum Magnus recepit: *quid velit ignorans.* Nec longius a lectione tradita recedit: *quidve sit ignorans* commendarique hanc puto scriptio nem simili loco a Medeae meditatione petito, cui modo commemoravimus cum meditatione Atalantae insignem esse similitudinem, Metam. VII 11 sqq. ‘frustra, Medea, repugnas! Nescio quis deus obstal’ ait; ‘mirumque, nisi hoc est Aut aliquid certe simile huic, quod amare vocatur’.

Trist. III 4, 21 sq. *Quid fuit, ut tutas agitaret Daedalus alas,
Icarus inmensas nomine signet aquas?*

Parvum illud Icarium mare ab Ovidio *inmensas aquas* dici fieri non potest ut credam. Quamquam *inmensae aquae* duobus aliis locis leguntur ex Ponto III 2, 93 sq. *Nec mora,* *de templo rapiunt simulacula Diana*ne *Clamque per inmensas puppe feruntur aquas* et Her. XVII 161 sq. *Saepe per adsiduos languent mea brachia motus Vixque per inmensas fessa trahuntur aquas*, apte utroque loco, siquidem illo longinquitas viae ab Oreste et Pylade e Tauris in patriam emensae oculis subicitur, hoc inmensae videntur aquae Leandro labore nandi defesso. At nostro loco quid fuerit, cur poeta inmensas illas aquas vocaret, equidem non video. Qua de causa errorem librarii in libris latere ratus veram Ovidii manum hanc esse censeo:

*Quid fuit, ut tutas agitaret Daedalus alas,
Icarus inmersus nomine signet aquas?*

Comparentur autem velim similes loci Her. XVII 139 sq. *Hoc mare, cum primum de virgine nomina mersa, Quae tenet, est nanctum, tale fuisse puto;* Metam. XIV 614 sqq. *regnum*

Tiberinus ab illis Cepit et in Tusci demersus fluminis undis Nomina fecit aquae. Librarii cum saepissime pentametrorum hemistichia extremis syllabis consonantia scriberent, facile fieri potuit, ut genuinam lectionem primum in *inmersas*, deinde, id quod paene necesse erat, in *inmensas* corrumperent aptius esse hoc adiectivum rati, utpote quod *aquis* attribui ex eis quos laudavimus locis cognovissent.

Trist. IV 4, 69 sqq. *Quo postquam, dubium pius an sceleratus, Orestes*
 70 *Exactus furiis venerat ipse suis*
Et comes exemplum veri Phoceus amoris,
Qui duo corporibus, mentibus unus erant,
Protinus evincti tristem ducuntur ad aram,
Quae stabat geminas ante cruenta fores.

Totum locum exscribendum putavi, quo quid offenderet planius atque apertius cognosceretur. Nam si usquam, in hoc verborum ambitu, qui facit, ut coniunctio *postquam* paene idem quod *ubi* vel *simulac* valeat, eam cum tempore perfecto, non cum plusquamperfecto coniungendam fuisse censeo: neque enim adverbium *protinus*, a quo apodosis initium capit, locum haberet. Prorsus aliter comparatus est locus Metam. VIII 875 sqq. *Vis tamen illa mali postquam consumpserat omnem Materiam dederatque gravi nova pabula morbo, Ipse suos artus lacero direllere morsu Coepit et infelix minuendo corpus alebat* (vide Pollii notam ad h. l.), ubi nihil impedit, quominus *postquam* vertamus 'seitdem' vel 'von dem Augenblicke an, da'. Itaque cum lectio vulgata medelae indigere putarem, ultro mihi visa est medela offerri haec poetam scripsisse suspicant:

Quo postquam, dubium pius an sceleratus, Orestes
Exactus furiis venit ab ipse suis,

quod ex consuetudine sermonis Ovidiani dictum esse non vereor ne quis neget. Ac de ipso quidem pronomine *ab (furiis suis)* cum plures nuper commentationes conscriptae sint, una a Loewio 'Über die Präpositionen *a, de, ex bei Ovid*' (Strehlen. progr. 1889), altera a Guttmanno 'Sogenannte instrumentales ab bei Ovid' (Dortmund. progr. 1890) supersedeo disserere; neque locum praepositionis pronomine *ipse* a possessivo pronomine disiunctae alienum ab Ovidio esse his demonstretur exemplis, quae omnia numero, propterea quod Loewius l. l. p. 5 non plus quinque laudat, qui tamen p. 16 omnes locos, qui quidem memorabiles essent, respexisse sibi videtur:

Her. IX 96	<i>Fertilis et damnis dives ab ipsa suis</i>
Her. XII 18	<i>Ut caderet cultu cultor ab ipse suo</i>
Her. XIII 116	<i>Languida laetitia solvar ab ipsa mea</i>
Ars am. III 668	<i>Mittor et indicio prodor ab ipse meo</i>
Ib. 406	<i>Urbe Coronides vidit ab ipse sua</i>
Ib. 586	<i>Et laesus lingua Battus ab ipse sua</i>
ex Pont. III 3, 46	<i>Discipulo perii solus ab ipse meo.</i>

Neque hunc usum praepositione *ab* circumscribi videmus

Am. I 7, 26 *Et valui poenam fortis in ipse meam*
 Fast. V 551 *Ultor ad ipse suos caelo descendit honores.*

Hunc versum, qui unicum praebet exemplum singularis huius figurae ab Ovidio solo (et Heroidum suppositiarum auctore) usurpatae in versu hexametro,^{*)} neglectum antea ab Heinsio, qui primus ad Her. IX 96 figuram observavit, et ab Hauptio reliquis versibus addidit multis annis ante Vahlenum, quem primum id fecisse ab Hilbergio 'die Gesetze der Wortstellung im Pentameter des Ovid' p. 55 perperam dicitur, Bernardus Dinter 'De Ovidii ex Ponto libris commentatio prima' (Grimae 1858) p. 11. Atque etiam

ex Ponto I 2, 150 *Iure venit cultos ad sibi quisque deos,*
 omissum antea et p. 34 adiectum locum, dubito an Dinterus iure illis locis comparaverit, etsi hic *sibi* quoque pronomen in eis verbis esse, quae ad praepositionem pertineant, video: *ad deos sibi (quisque) cultos.* Nec vero, quod eodem loco Dinterus, ne vocabula *sibi quisque* disiungantur, praepositionem in anastrophe esse dicit, hoc ego mihi persuadere possum: ut enim omnibus illis locis, ubi pronomen *ipse* praepositionem sequitur, praepositio non est in anastrophe, sed coniungenda est cum ablativo vel accusativo sequenti, sic etiam ex Ponto I 2, 150 praepositio *ad* pronominibus *sibi quisque* disiuncta a *deos* ad hoc nomen spectat, neque interest, utrum accusativus *cultos* hoc an quovis alio loco positus sit. Veram contra anastrophen eis locis habemus, quibus Dinterus l. l. p. 11 Ovidium demonstrare studet liberius in praepositionibus collocandis versari quam ceteros poetas, maxime in pentametro, quippe cuius altera in parte spondei non admittantur, non illis quidem; ubi praepositionem genitivus ex substantivo aptus sequitur — haec enim non magis est anastrophe quam ubi praepositionem ante adiectivum, non ante substantivum legimus —, sed ubi nullus sequitur genitivus:

Her. VI 118	<i>Me quoque res talis inter habere potes</i>
Trist. IV 4, 74	<i>Quae stabat geminas ante cruenta fores</i>
Ib. 80	<i>Carceris obscuras ante sedere fores</i>
ex Ponto I 1, 26	<i>Saeva deos contra non tamen arma tuli</i>
ex Ponto I 1, 52	<i>Isidis Isiacos ante sedere focos</i>
ex Ponto IV 10, 2	<i>Litore pellitos inter agenda Getas.</i>

Quamquam hanc anastrophen praepositionis ab aliis quoque, etiam prosae orationis scriptoribus admitti constat, maxime ubi bisyllaba praepositio est atque adverbiale vim, quae antea erat, non totam amisit. Ceterum, quod adiectivum fere, rarius substantivum praepositio sequitur, moneo, ne quid maioris momenti inde effici posse videatur; nam cum poeta praemittere adiectivum soleat, aliter res se habere vix potest. Praeterea autem, id quod magis ad rem pertinet, Dinterus docuit etiam negligenter Ovidium praepositionem interdum prorsus seiunxisse ab eis vocabulis quibus adiungi debebat et duobus hoc exemplis demonstravit:

Trist. IV 8, 11 sq.	<i>Inque sinu dominae carisque sodalibus inque Securus patria consenuisse mea</i>
Trist. IV 9, 23	<i>Trans ego tellurem, trans altas audiar undas,</i> quibus ex Diltheyi conjectura addendum est
Her. XVII 191	<i>Neve putas in me, quod abest, promittere tempus,</i>

^{*)} Facile intellegitur, cur non saepius in hexametro hoc fiat, cur in altera tantum parte pentametri, cur illic substantivum sequatur, hic antecedat. Non recte de ea re Dinters indicat, quamquam ipse clausulam pentametri praebeti commodissimam cognovit. Sua sponte vel nobis, si Ovidium imitati carmina latina componamus, ita verba fluant rationem metricam sequentia.

praeterea is locus, quem ad anastrophen praepositionis illustrandam Dinterus attulit (cl. Verg. Ecl. VI 19 *iniciunt ipsis ex vincula sertis*), qui haud scio an rectius hoc referatur,

ex Ponto IV 14, 15 *Talia succenserent propter mihi verba Tomitae.*

Itaque corrigendum est id quod in Fleckeiseni annal. CLI (1895) p. 406 de collocatione praepositionis et nominis ex ea apti apud Ovidium obvia pro certo affirmavi. Neque tamen bene facere puto Hilbergum l. l. p. 14, quod locum suspectissimum

Her. XX 180 *Aque tuā est nostra spreta parente parens,*

de quo ille non minus novem diversis libri sui locis disserit, non defendit modo sed etiam Ovidiana artis metricae rationem ex eo versu cognosci docet, quem neque constat ipsius Ovidii esse neque recte esse traditum pro certo habere licet.

Sed ut eo redeamus, unde profecti sumus, dubitari non potest, quin Ovidius multis locis, quibus unum additum volo, praepositionem monosyllabam, saepissime *ab*, pronomine *ipse* a possessivo disiunctam posuerit, qua re vim pronominis possessivi augeri sentimus ac prorsus idem effici quod tragici Graecorum collocato pronomine *αὐτός* inter articulum et genetivum pronominis reflexivi *αὐτοῦ* (sic etiam de prima et secunda persona dicti, nisi forte *αὐτοῦ* scribendum est, vd. quae multo ante de ea re exposui '*Meletemata Sophoclea*' p. 33 sqq.) efficiunt, ut hyperbato quod vocatur arta duorum pronominum coniunctio exsistat, velut Soph. Oed. Col. 930 *σὺ δ' — αἰσχύνεις πόλιν τὴν αὐτὸς αὐτοῦ*. Sed idem, quod ego Trist. IV 4, 70, Hilbergius l. l. p. 56 Her. XIV 28 fieri iussit, ubi legitur

*Vulgus 'Hymen, Hymenae' vocant. Fugit ille vocantis:
Ipsa Iovis coniunx cessit ab urbe sua.*

Hilbergius autem postquam a poeta pronomen *ipse* ante ipsum pronomen possessivum collocari solere demonstravit, hoc quoque loco transpositis verbis legi vult *Urbe Iovis coniunx cessit ab ipsa sua*. Quam conjecturam nemo probabit nisi qui sententiam non plane intellexerit. Aliud enim est: ipsa Iuno (non solum Hymenaeus) ab urbe sua cessit, aliud: Iuno a sua ipsa (ipsius) urbe cessit; illa vis est vulgatae lectionis, haec Hilbergii. Quam quidem sententiae aptam esse negaverim. Nam verborum continuatio tollitur, nisi pronomine *ipsa* poetam ad Hymenaeum, cuius modo mentionem fecit (*fugit ille vocantis*), spectare existimamus: neque Hymenaeus adest et Iuno (pronuba, cf. Her. VI 43 sq.), quae ipsa quoque ad nuptias vocata erat, ab urbe sua i. e. Argis cessit. Augendi igitur vis aliqua (*etiam, vel*) aliquando in pronomine *ipse* videtur mihi inesse, a vera atque propria significatione huius pronominis profecta. An offendemus, si eandem esse vim pronominis censemus in illo versu ex Ovidii vita deprompto Trist. IV 10, 22 *Studium quid inutile temptas? Maeonides nullas ipse reliquit opes*, ubi quid pronomen *ipse* sibi velit explanare editores fere neglegunt. Recte enim, opinor, Ciofanus: 'argumentum a maiori'; Burmannus contra in uno libro *inde reliquit* invenit et hoc putat dictum 'eleganter: ex studio inutili'. Neque tamen cuiquam hoc placuisse video: *ipse* pronomen retinent neque interpretantur, ut quod per se ipsum intellegatur. Quamquam lexicis vereor ne in hoc loco interpretando deficiamur, nisi Maeoniden pro poetis omnibus dici horumque studia ceteris opponi putamus. At hoc potius intellegendum est: etiamsi Maeoniden aeques, inutile tamen istud studium erit.

Quoniam Trist. IV 4, 70 librariorum vitio praepositionem *ab* intercidisse conatus sum demonstrare, sequitur, ut hoc idem aliis locis factum esse ostendam. Unus est

ex Ponto II 10, 11 sq. *Vel studiis, quibus es, quam nos, sapientius usus,
Utque decet, nulla factus es Arte nocens.*

Eleganter sane dictum est *factus ab Arte*, quod et Burmannus coniecit et in codice Gudiano scriptum habemus. Accedit, quod verbum *es* in pentametro tantum abest ut desideretur, ut malimus eo carere. Sententia enim relativa pentametro continuatur, in quem *es* facile ex hexametro potuit irrepere: ‘*studiis tu sapientius, quam nos, usus es et ita, ut a nulla Arte nocens fieres*’. Cf. ex Ponto IV 1, 9 sq. *O quotiens ego sum libris mihi visus ab (vulg. in) istis Impius, in nullo quod legerere loco et ad h. l. Ehwald. Krit. Beitr. p. 62.* — Alter locus legitur

Metam. VII 351 sqq. *fugit alta superque*

Pelion umbrosum, Philyreia tecta, superque

Othrym et eventu veteris loca nota Cerambi,

ubi, cum ipsum Othrym loca eventu Cerambi nota esse constet, v. 353 *Othrym, ab eventu veteris loca nota Cerambi* conicio. Hunc sensum etsi in vulgata quoque lectione inesse posse scio, tamen aequabiliores ita sententiae partes video: nam ut Pelion ita Othrys iam suam habet appositionem. Reliquum est, ut adiectivum *notus* cum praepositione *ab* coniungi demonstrem: Metam. XIII 715 *Ambraciam —, Actiaco quae nunc ab Apolline nota est*, Propert. V 1, 126 *Murus ab ingenio notior ille tuo*; cf. Lachmann. ad Propert. IV 1, 9.

Trist. V 4, 23 sqq. *Te tamen, o, siquid credis mihi, carior illi
Omnibus, in toto pectore semper habet;*
25 *Teque Menoetiaden, te, qui comitatus Orestem,
Te vocat Aegiden Euryalumque suum;
Nec patriam magis ille suam desiderat et quae
Plurima cum patria sentit abesse sibi,
Quam vultus oculosque tuos, o dulcior illo*
30 *Melle, quod in ceris Attica ponit apis.*

Non offenderem in v. 29, si ipsius poetae essent verba ac non ‘*Nasonis epistula*’ (v. 1) loqueretur. Neque enim huic, sed illi dulcior melle Attico is dicitur, ad quem epistula venit. Itaque siquidem pronomine cum *melle* coniuncto facile carere possumus, cl. v. 23 *o carior illi* ita Ovidium puto scripsisse:

*Quam vultus oculosque tuos, o dulcior illi
30 Melle, quod in ceris Attica ponit apis.*

Trist. V 12, 7 sq. *Exigis, ut Priamus natorum funere ludat
Et Niobe festos ducat ut orba choros?*

Quomodo ablativum *funere* defendi velint, non satis intellegere me profiteor. Neque dubito sententiae et consuetudini sermonis consensum codicum gratificari, ubi in promptu est levi mutatione ita scribere:

*Exigis, ut Priamus natorum <in> funere ludat
Et Niobe festos ducat ut orba choros?*

quod idem ante me Burmannum video sensisse: hic enim adnotat malle se, licet vulgatam non damnet, *natorum in funere* cum Lovaniensi, ut Remed. 127 *Quis matrem, nisi mentis inops,
in funere nati Flere vetet?* — Ceterum exploratum me habere nego, utrum verbum *exigis*

in interrogativam an affirmativam sententiam accipiendum sit: editoribus quidem recentioribus illud placuit.

ex Ponto I 2, 65 sq. *Nec tamen ulterius quicquam sperove precorre
Quam male mutato posse carere loco.*

Corrupte locum traditum esse cum alii iudicaverint tum mihi persuasum est. Nam quod Ovidius nihil ultra se sperare aut precari dicit, quam ut male mutato loco carere possit, quem alium locum significari putabimus nisi Tomos? Quod oppidum quamvis male a poeta pro Roma mutatum sit, tamen illa verba non recte se habent, quia quocumque Ovidium Augustus relegare alio voluisse, male ille locum mutatus erat: ergo de Tomis potissimum, unde ut sibi in aliud exsilium liceat discedere poeta optat, non hoc dicendum erat. Quale autem exoptet pro Tomis exsilium et quae potissimum crimina illi loco obiciat (cf. ex Ponto IV 14, 27 sq.), dubitare non possumus. Sententiam igitur loci Bentleyus assecutus est lectionibus *morato* vel *pacato* propositis: quarum tamen neutra viris doctis probata est, videlicet quia haec a lectione tradita nimis recedit, illud ‘*male morato loco*’ insolenter dictum nec defendi videtur posse simili loco Metam. XV 94 sq. *Nec, nisi perdideris alium, placare voracis Et male morati poteris ieiunia ventris?* Heinsii conjecturam *male mutando* refellere supersedeo: id enim Dinterum *De Ovidii ex Ponto libris commentatio prima* (Grim. 1858) p. 31 demonstravisse censeo, si modo Heinsius locum recte explicavit ‘qui mutetur cum alio loco quantumvis malo’, non potius *mutando* quam *mutato* poetae scribendum fuisse. Sed quoniam ‘locum intellegendum esse hunc, Tomos’ patet, in verbis *male mutato* crimen loci inesse existimo ac ne Dinterum quidem recte explicavisse dicentem hoc sibi poetam velle: ‘Et tamen spes mea precesque non ultra procedunt quam ut alium meliorem quidem hoc optem exsilio locum, sed non bonum’. Itaque cum in verbo *mutato* vitium inesse ratus antea ipse quoque de *morato*, tum de *tutato* cogitaverim, quod participium passive dictum esse cum aliorum verborum deponentium similitudinibus conici liceat tum in Forcellini lexico uno exemplo e Symmachi epistulis petitio ostenditur (exstat etiam activum *tutare*), iam certa ratione locum sanari posse iudico:

*Nec tamen ulterius quicquam sperove precorre
Quam male me tuto posse carere loco,*

quam nunc demum video Fabri esse conjecturam impugnatamque esse et reiectam ab Heinsio. Egregiam hanc puto et veram emendationem, quae quibus de causis ab Ovidii carminum existimatore ingeniosissimo et maxime intelligenti respuatur atque a Kornio ne commemoretur quidem in apparatu critico, valde miror. Hoc enim illud est, quod Ovidius primum omnium exilio Tomitano obicit atque exprobrat, quod armis finitimi circumsonetur (Trist. IV 10, 111); hoc non desinit queri; hoc petit et precatur, ut quamvis sit miser, at tutiori tamen sibi liceat esse. Pauca e multis affero exempla: ex eadem elegia paullo infra vv. 105 sq., qui temptari numquam debebant:

*Non petitio, ut bene sit, sed uti male tutius, utque
Exsiliū saevo distet ab hoste meum.
Trist. V 2, 77 sq. Quod petimus, poena est: neque enim miser esse recuso,
Sed precor, ut possim tutius esse miser.*

Ergo ut ex Ponto I 1, 79 Ovidius fore sperat, ut in locum vacuum ab areu Scythico mutetur, ita ex Ponto I 2, 65 sq. ut male tuto (i. e. non tuto, infesto) loco carere possit. Iam habemus

elegantissimi poetae veram manum, quam amissam olim et pridem repertam resuscitavisse mihi videor. Neque ad commendandam eam videtur mihi esse quod plura dicam: ipsam se commendaturam esse spero.

ex Ponto I 7, 56 *Sed fuit in fatis hoc quoque, credo, meis.*

Sic versus editur a viris doctis, etsi nullo praeterea loco vocis *credo* posteriorem syllabam Ovidius videtur corripuisse. Nec plane puto hanc quaestionem a Luciano Mueller absolutam esse, qui *De re metrica poet. Lat.* p. 337 ab Ovidio in distichis semper imminui *Sulmo* et *Naso* docet, praeterea haud ita raris exemplis haec ‘*amo eano nego peto rogo leo confero desino odero Curio Gallio Scipio esto credo tollo rependo nemo ergo*’. Neque enim omnia Muellerus enumeravit neque eorum quae attulit eadem est ratio. De qua re cum alias me uberior expositurum esse sperem, nunc satis est ostendere displicere mihi illud *credō* multoque magis arridere lectionem si non optimorum at plurimorum codicum *erede*, quo imperativo sententiae loci minime officitur. Reponendum igitur

Sed fuit in fatis hoc quoque, credo, meis.

ex Ponto II 8, 76 *Vera precor fiant timidae prae sagia mentis:*

Iustaque quamvis est, sit minor ira dei.

Offensionem metricam pentametri, cuius alter pes una voce spondiaca efficitur, Hilbergius ‘*Die Gesetze der Wortstellung im Pentameter des Ovid*’ p. 3 sq. tollere conatur conjectura speciosa illa quidem et quam iudices peritissimi, Magnus (ann. soc. philol. Berol. XXII [1896] p. 53. 57) et Ehwaldius (*Krit. Beitr.* p. 45) probare non dubitent, sed mea quidem sententia dubia et celerius quam verius probata. Minima enim aut paene nulla mutatione Hilbergius *Iustaque, quam visa est, sit minor ira dei* coniecit, qua tamen sententiae loci non satisfieri etiamnum censeo. Posse autem alia quoque ratione offensionem illam metricam tolli cum ostendissem in Fleckeiseni annal. CLI (1895) p. 400, Magnus contra l. l. p. 57 dubito an iure eas, quas conici posse scripsoram, lectiones *iustaque quantumvis vel iustaque sit quamvis* interpolationem redolere iudicaverit. Iam vero magis magisque in eam opinionem perductus sum, ut illa verba *Iustaque / quamvis / est* num ullius emendationis indigerent dubitarem. Nam etsi non eadem ratione, qua Lucianus Mueller *De re metrica poet. Lat.* p. 372 ad similitudinem eorum quae sunt ‘*inter se praeterte*’ Ovidium ex Pont. II 8, 76 verbum copulativum *est* ad particulam non simplicem *quamvis* inclinavisse censem, at simili tamen ratione ego fieri posse crediderim, ut particula *quamvis* utpote composita pro duabus vocibus monosyllabis habeatur, ita ut non minus quamlibet vocem monosyllabam quam illud *est* sequi liceat. Haec sententia confirmari mihi videtur eo, quod ipsa quoque particula *quamlibet*, id quod Georges in lexico non adnotavit, duas vocabuli partes seiungi patitur: cuius rei exemplum affero ex Ponto I 2, 85 sq. *Dant illis animos arcus plena que pharetrae Quamque libet longis cursibus aptus equus.* Nec multum hic usus differt ab adverbio *cumque*, quod cum pronominibus vel adverbii relativis coniunctum saepenumero et a poetis et a prosae orationis scriptoribus uno vel pluribus vocabulis a priore parte seiungitur, ut ex Ponto IV 13, 6 *qualis enim cumque est.* Quae cum ita sint, fortasse etiam *iustaque quamvis est*, i. e. *iustaque quam vis est* posse retineri videbitur, nisi a sententia quoque, id quod adhuc mihi non persuasi, Hilbergii conjecturam potiorem habebimus. Contra Lucianus Mueller, qui primus videtur in illo versu offendisse, statuere maluit enclisin vel proclisin, ‘quibus accentu uno comprehenduntur voces scriptura seiunctae ac

maiore certe paullo quam compositorum partes vocis interstitio dirempta' (l. l. p. 371), eandem qua saepissime ab Ovidio in secundo pede tam hexametri quam pentametri ponitur illud *nescio* cum pronominis indefiniti forma qualibet monosyllaba (Trist. V 11, 1; ex Ponto I 8, 45; III 9, 2), interdum etiam praepositio *inter* cum accusativo pronominis personalis aut reflexivi:

Art. am. II 611 sq. *Attamen inter nos medio versantur in usu,*
Sed sic, inter nos ut latuisse velint.

Metam. XII 430 *Vinxerat inter se conexis vellera nodis.*

Et haec quidem tam arte coaluisse Muellerus dicit, melius ut iuncta scribantur quam discepta: quod idem sentit Thielmannus *Archiv für lat. Lexikographie u. Grammatik* VII (1892) p. 353, qui postquam *interse* pro una voce haberi neque diversa ratione composita esse versuum initia Verg. Aen. II 455 *tectorum inter se* et ib. II 455 *a tergo infelix* neque diaeresin quae vocatur post vocem *inter* hic sentiri ostendit, contra pro duabus vocibus *inter sese* haberi demonstrat. Sed his finibus apud Ovidium enclisis usus substitisse videtur, neque ego hoc probaverim, quod Magnus in ann. soc. philol. Berol. XXII (1896) p. 92 etsi dubitanter tamen fieri posse iudicat, ut Metam. VII 508 sqq. lectio codicis M retineatur cum Ehwaldio verbis ita distinctis:

*Nec dubie vires, quas haec habet insula, vestras
Ducite et omnia, quae rerum status iste mearum (sc. habet),
Robora: non desunt; superat mihi miles et hosti.*

Nempe lex est metri heroici 'ut secundus pes ne efficiatur verbo dactylico aut spondiaco', qua lege haud scio an Oidianam putare illam lectionem versus 509 vetemur.

ex Ponto IV 13, 23 Materiam quaeris? laudes de Caesare dixi.

Adiuta est novitas numine nostra dei.

Admirari licet urbanam adulationem blandasque preces poetae, qui postquam Getico sermone scriptum libellum Caesarum laudandorum causa comprobantibus Getis perlegit, ex his unum mirantem facit: *Scribas haec cum de Caesare, Caesaris imperio restituendus eras.* Multo minus ea quae supra exscripsi placent verba, quae praesertim a communi consuetudine sermonis Latini recedant; neque enim alio ullo loco illud „*laudes dicere de aliquo*“ inveniri videtur. Quae cum ita esse sentirem, nuper ego in Fleckeiseni annalibus tom. CLIII (1896) p. 62 nulla re nisi interpunctione verborum mutata sic illa verba legi iussi assentientemque habeo, id quod laetor, Ehwaldium in eo libello quem nuperime edidit *Kritische Beiträge zu Ovids Epistulae ex Ponto* (1896) p. 84

Materiam quaeris? laudes: de Caesare dixi.

Laudes igitur verbalis forma, non nominalis, scil. *materiam*.

Ut hoc loco id quod Ovidius voluit dicere restitusse mihi videor, ita alio quodam loco etsi quid editores intellegi velint dubito, tamen eam quae inest sententiam distinctione verborum obscurari iudico. Nam ita editur a viris doctis

Art. am. III 96 Quid, nisi quam sumes, dic mihi, perdis aquam?

Nihil haec verba ad similitudines quibus antea (v. 91—94) poeta usus est pertinent, sed versu 95 *Et tamen ulla viro* et q. s. ad id ipsum de quo agitur poeta redit, ad demonstrandum id quod v. 90 affirmavit. Nolo longus esse in interpretandis verbis; hoc certissimum est *quam* pronomen non indefinitum esse, sed relativum et hanc esse vim sententiae; nihil aliud

perdis nisi aquam quam postea sumes, et ipsam locutionem *aquam sumere* eodem sensu esse accipiendo quo ubi eandem legimus v. 620 *Sumenda detur cum tibi tempus aquae* et Am. III 7, 84 *Dedecus hoc sumpta dissimulavit aqua.* Interpungendum igitur sic

Quid nisi, quam sumes, dic mihi, perdis, aquam?

In verborum collocatione nisi qui Ovidiani sermonis usum ignorat offendere nemo potest: quae quidem multo facilior est quam ea quae Trist. III 9, 12 cum aliis tum Ehwaldio in Merkelii editione altera placuit: '*Hospes*', ait 'nosco, Colchide, vela, venit!' ubi in prima versus voce Heinsium secutus malim legere: '*Hostis*' ait 'nosco Colchide vela dari' (dari codd.). Atque idem Heinsius recte etiam Art. am. III 96 interpretatus est, ubi recentiores videntur aut de similitudine aut de proverbiali quadam locutione cogitasse. Neque hoc recte fieri inde appetet, quod *aquam perdere „Wasser vergeuden“* non eam habet vim ut significet: effundere rem, quae quoniam abundat. licet eam effundi, sed, si modo proverbio increbruit, de qua re nihil affert Otto, die *Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten der Römer*, *aquam perdere* dicuntur qui tempus agendae causae inutiliter consumunt (Forcellini — de Vit). Hanc autem locutionem sive metaphoricam sive proverbialem non ex propria *aqua* significatione fluxisse, sed ex translaticia, qua eadem vi atque *clepsydra* usurpat, apertum est: apud Quintilianum quidem Inst. or. XI 3. 52 *Cui contrarium est vitium nimiae tarditatis: nam et difficultatem inveniendi fatetur et segnitia solvit animos et, in quo est aliquid, temporibus praefinitis aquam perdit* proverbium agnosci non licet.

Paucos subiungo locos, ubi similiter editores carminum Ovidianorum aut omnes aut plurimos qua utuntur verborum distinctione sententiae non satisfacere puto. Ac primum quidem affero

ex Ponto I 2, 61 sqq. *Cum subit, Augusti quae sit clementia, credo
Mollia naufragiis litora posse dari;
Cum video, quam sint mea fata tenacia, frangor
Spesque levis magno victa timore cadit.*

Quae ratio inter duas sententias intercedat, ut intellegatur, non punctum post v. 62 ponendum est, sed semicolon (vel colon), quod editorum unus Riesius posuit; post v. 63 autem nulla opus est distinctione aut commate solo utendum est, graviore nullo interpunctionis signo. Nam modo se fiducia quadam ac spe modo desperatione teneri poeta narrat: illam ex Augusti clementia, hanc e longo malorum suorum tenore proficisci. Ergo duo disticha inter se opposita illa quidem, sed in unum comprehendenda unam efficiunt sententiam, id quod e vulgata versuum distinctione non satis perspicitur.

ex Ponto II 2, 115 sqq. *Nec tamen Actnaeus vasto Polyphemus in antro
Accipiet voces Antiphatesve tuas:
Sed placidus facilisque parens veniaeque paratus
Et qui fulmineo saepe sine igne tonat,
Qui cum triste aliquid statuit, fit tristis et ipse
120 *Cuique fere poenam sumere poena sua est.**

In his versibus utrum post v. 117 et post v. 119 commata ponamus necne, nihil fere interest: post v. 118 commate vel semicolo, quod hoc quoque loco unus Riesius fecit, utendum est. Miror, quomodo fieri potuerit, ut Merkelius, Guethlingius, alii post versum 118 punctum ponerent.

quem tamen cum eis quae antecedunt apte cohaerere nemo non videt. Principalem enim hanc esse sententiam dubito an ne illi quidem voluerint.

Trist. I 3, 35 sqq. *Et quamquam sero clipeum post vulnera sumo,
Attamen hanc odiis exonerare fugam
Caelestique viro, quis me deceperit error,
Dicite, pro culpa ne scelus esse putet,
Ut quod vos scitis, poenae quoque sentiat auctor:
Placato possum non miser esse deo.*

Sic interpungendum esse et versum 39 non ab eis quae sequuntur, sed ab eis quae antecedunt pendere censeo. Editoribus etsi nullam de interpretatione huius loci dubitationem fuisse video, mihi tamen multo veri similius videtur etiam versum 39 in finalem sensum, non in concessivum accipi, utrumque enuntiatum finale a verbo *dicite* pendere, totam denique deorum supremam salutationem a poeta ab urbe discessuro gravius uno pentametro concludi.

Trist. III 3, 29 sqq. *Si tamen implevit mea sors, quos debuit, annos
Et mihi rivendi tam cito finis adest:
Quantum erat, o magni, morituro parcere, divi,
Ut saltem patria contumularer humo!
Vel poena in tempus mortis dilata fuisset,
Vel praecepisset mors properata fugam!*

Exclamationis signum v. 34 ponendum, non punctum videtur, quod editores omnes exhibent. Sed optatum his duobus versibus contineri sententiarum conexus docet nec unquam, quotiens legi, dubium mihi fuit.

ex Pont. I 2, 93 *Noluit, ut poterat, minimo me perdere nutu*
legitur in editionibus, quamquam verba *minimo nutu* ad *poterat*, non item ad *noluit* referenda sunt. Melius igitur deleto aut utroque aut posteriore commate ita scribemus
Noluit ut poterat minimo me perdere nutu.

ex Pont. I 3, 71 sq. *Pulsus Aristides patria Lacedaemonia fugit,
Inter quas dubium quae prior esset erat.*

Ne de huius quidem versus interpretatione ulla potest esse dissensio; sed commata in pentametro ab editoribus posita, nisi errorem movere velis, delenda sunt aut tertium comma ante vocabulum *dubium* addendum est: neque enim inter Athenas et Lacedaemonia dubium erat, sed quae vel ultra inter eas urbes prior esset, erat dubium.

ex Pont. III 9, 47 sq. *Denique materiam quamvis sibi finxerit: ipse
Arbitrio variat multa poeta suo.*

Scribendum esse *quamvis*, pronomen *ipse* ad ea quae sequuntur referendum esse iudico cum Riesio, qui tamen quod in praefatione adnotat aptius se *fixerit* putare, aliter videtur verba interpretari atque ego interpretanda esse mihi persuasi. An ipse quoque Riesius *quamvis* formam esse pronominis *quisvis*, non coniunctionem esse voluit? Sic enim censeo *quamvis* *materiam* „einen beliebigen Stoff“ coniungendum esse, ut Ovidius Metam. II 44 *quodvis* *pete munus* scripsit, Pont. IV 3, 33 *quolibet est folio, quavis incertior aura* [, Her. XV

(Par.) 186 *una domus quaevis urbis habebit opes*, ibid. 319 *tunc ego iurabo quaevis tibi numina]; finixerit pro coniunctivo concessivo habendum, ipse — poeta suo apodosin esse.* Ovidius enim postquam Bruti litteris cognovit se vituperari, quod in epistulis ex Ponto Romam missis eadem sententia esset, primum defendit illud unum de multis vitium esse carminum suorum, quae vitia etsi videat et noverit, se tamen ut corrigat a se impetrare non posse; deinde quod unus sensus omnibus carminibus in exilio compositis insit, id ipsum vitium et suae condicione convenire et excusari eo magis posse, quia eadem neque uni neque eisdem verbis scribat: non uni se scribere, quo maior sibi spes sit salutis sua, quam ingenii laude ac fama potiorem habeat, non eisdem verbis (eadem pluribus) se scribere, quia ipse poeta, quameunque materiam sibi finixerit vel proposuerit, tamen suo arbitrio multa variet.

Trist. III 10, 43 sqq. *Tum neque se pandi possunt delphines in auras
Tollere — conantes dura coercet hiems —
Et quamvis boreas iactatis insonet alis,
Fluctus in obsesso gurgite nullus erit
Inclusaque gelu stabunt et q. s*

Editores nescio quo pacto usque adhuc fugit versus 43 et 45 aptissime inter se cohaerere particulis *neque* — *et coniungentibus*, v. 44 autem *conantes* — *hiems* parenthesis esse. Quod nisi ita esset, quanam ratione illud *neque* explicari posset? Etenim *neque* a poeta pro *ne* — *quidem* poni non ignoro, hoc loco sic positum esse nego. Conferantur velim similes loci: Pont. I 1, 19 *nec vos hoc vultis, sed nec prohibere potestis*, ibid. IV 13, 5 *non quia mirifica est, sed quod nec publica certe*, Metam. IV 153 *quique a me morte revelli Heu sola poteras, poteris nec morte revelli*, ibid. XI 471 *ut nec vela videt*. Aliter comparatus est versus Met. XI 211 *Poena neque haec satis est*, ubi *neque* non solum ad urgendam unam quandam vocem verum etiam ad sententiarum coniunctionem pertinet. Quid inde efficitur? Quotienscumque apud Ovidium *nec pro ne — quidem* legitur, suum habet locum ante eam vocem, quae premitur. Neque vero hoc fit in eo loco, de quo agimus: *ne delphines quidem* si Ovidius intellegi voluisse, *neque delphines* dicere poterat nec tamen ullum vocabulum interposuisse. Non recte igitur Fridericus Polle „Wörterbuch zu Ovids Metamorphosen“⁵ (1893), cuius singularem in Ovidii carminibus operam nuperrime Hugo Magnus ann. soc. philol. Berol. XXII (1896) p. 88 sq. iustis laudibus praedicavit, in illis locis ex Metamorphosesin exscriptis, quos Pollio debeo, *neque* postponi dicit: quod si Met. XI 211 recte se habet, de reliquis certe falso dicitur. Nam Metam. IV 153 *nec morte* idem valet quod *ne morte quidem*, Metam. XI 471 *nec vela* idem quod *ne vela quidem*.

Quod si recte statui certum et constitutum esse particulae *nec pro ne — quidem* positae locum, de uno versu Ovidiano mihi exponentum erit, qui repugnare huic observationi videatur. Ita enim in omnibus editionibus, quae quidem mihi praesto sint, legitur

Art. am. III 107 sq. *Corpora si veteres non sic coluere puellae,
Nec veteres cultos sic habuere viros.*

Sensum constat in his verbis hunc inesse: si veteres puellae corpora non sic coluerunt (ut vos iubeo), (quid mirum? quippe) veteres puellae ne viros quidem sic cultos habuerunt. Aliter ne Ehwaldium quidem illa verba intellegi voluisse censeo, quamquam in fine pentametri colo posito qui legit in eum errorem induci potest, ut etiam pentametri verba a coniunctione *si* pendere, apodosin non ante quam v. 110 legi putet: quod si ita esset, prorsus nulla offendio

in particula *nec* inesset, quippe quae enuntiatum condicionale continuaret. Hoc tamen neque fieri ullo modo potest neque vir doctissimus, ut mihi videtur, iudicavit. Iam vero quae sit fides vulgatae scripturae cum quaererem, nullam eam esse et perspxi et laetatus sum. Ab Heinsio, si recte quae apud Burmannum sunt intellego, profecta illa est, non ex codicibus exprompta; redeundum igitur ad fidem librorum scriptorum videbitur:

*Corpora si veteres non sic coluere puellae,
Non veteres cultos sic habuere viros.*

Reliquum est, ut metricas quasdam quaestiones in Ovidii carminibus institutas, quas absolvere adhuc non potui, de caesura potissimum hexametri et de correpta *o* finali alias me emissurum esse pollicear.

Conspectus locorum.

	pagina		pagina
Am. III 3, 1	1 sq.	Metam. VII 827	13
Her. II 137	2 sq.	Metam. X 637	13
Her. IV 60	3 sq.	Trist. I 3, 38 sqq.	22
Her. VIII 104	4 sq.	Trist. III 3, 33 sq.	22
Her. IX 87	6	Trist. III 4, 22	13 sq.
Her. X 88	7	Trist. III 9, 12	21
Her. X 95	7	Trist. III 10, 43 sqq.	23
Her. XIV 28	16	Trist. IV 4, 70	14
Her. XIV 62	8	Trist. V 4, 29	17
Her. XVII 173	9 sq.	Trist. V 12, 7	17 sq.
Her. XVII 213	10	ex Ponto I 2, 61 sqq.	21
Art. am. I 114	10 sq.	ex Ponto I 2, 66	18 sq.
Art. am. III 96	20 sq.	ex Ponto I 2, 93	22
Art. am. III 108	23 sq.	ex Ponto I 3, 72	22
Art. am. III 429	11	ex Ponto I 7, 56	19
Metam. I 66	11	ex Ponto II 2, 115 sqq.	21 sq.
Metam. IV 416	11 sq.	ex Ponto II 8, 76	19 sq.
Metam. V 566 sq.	12	ex Ponto II 10, 12	17
Metam. VII 120	12	ex Ponto III 9, 47 sq.	22 sq.
Metam. VII 353	17	ex Ponto IV 13, 23	20

Errata.

p. 1 lin. 22 pro imperatus leg. imperativus.

p. 6 s. v. *cypressifer* non debebam reprehendere lexicographos: satis erat ostendere litteram *u* in adiectivo a poeta produci.

p. 7 lin. 1 pro 92 leg. 93.

p. 7 lin. 4 del. 95.

p. 10 lin. 15 pro fuerit leg. egerit.

